

apud Cæsarem de Uscochis Sennia amovendis, licet Flaminius Delphinus vehementer urgeret, agebatur. Cæsareani Germanorum præsidio Senniam tueri se velle affirmabant; sed cum pecuniaæ angustia obstaret, aliquam in id a Venetis argenti summam conferri subobscure postulabant, aperte petere non audiebant; neque id æquum Senatus arbitrabatur. Ab Rodulpho, ut procuratores ad fontes plectendos Senniam mitteret, ad Ferdinandum datae literæ. Missi, nihil, quod ad pestem amovendam conduceret, egere. Delphinus, nulla re impetrata, Praga excessit, Cæsareanis bellum turicum obtendentibus; eo impediri, quo minus satis Reipublicæ facerent.

In eo spei exitus impares hoc anno fuere; nihil ad summam rei gestum, quo vel accessio imperii Cesari fieret, vel ad pacem aditus utrimque exoptatam aperiretur. Buda frustra tentata, multis licet hostium cæsis, ac Bassa, qui urbe egressus fuerat, intercepto. Albam regalem pari fortuna Comes Suarcemburgius aggressus, urbe capta, hoste in arcem recepto, flammis absumpta, discessit. In Dacia magni tumultus ac mutationes sequutæ; nam cum Sigismundus Battoreus Andreæ Battoreo Cardinali certis legibus eam provinciam concessisset, Mœsiæ Regulus, qui haud parva militum manu gravia Turcis damna intulerat, Andreæ infensus, fines ingressus, prælio victor, Daciam occupaverat; post triduum ab inito certamine, Cardinalis capite ad eum delato, Claudiopoli potitus, gubernacula suscepserat, easque ditiones auspiciis Cæsaris tenere se, ingentibus Turcarum spretis pollicitis, vulgaverat; qui hoc anno infeliciter Pappa, oppido in Pannonia, tentato, saepius a Cæsareanis obtriti, in hyberna concessere; cum præsertim magnorum in Asia motuum initia suborirentur. Nam Cussainus, Ciliciæ Bassa, excusso Ottomorum jugo, ingenti peditum atque equitum numero stipatus, Cilicia excursionibus deformata, Iconium præcipuam urbem ceperat. His intestinæ Principum dissensiones, corruptæque per luxum leges addebantur, ex quibus libidine atque effrenata licentia, prolapsa militari disciplina, in dies in provinciis Turcarum imperio subjectis non modo, verum Byzantii ingentes turbationes excitabantur, ut propemodum mole sua oppressa immensi imperii vis collabi videretur.

Cæsareano-  
rum ad Bu-  
dam & Al-  
bam Rega-  
lem ges̄a.

In Dacia  
mutationes.

Andreas  
Battoreus  
Cardinalis  
a Valacco  
interfectus.

Cussainus  
Cilicie  
Bassa a  
Turcarum  
imperio de-  
ficit, Ico-  
niūm occi-  
pat.